Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



Zachariam patrem Joannis intelligi volunt, eo quibusdam apocryphorum somniis approbantes, quod propterea occisus sit, quia Salvatoris predicaverit adventum. Sed ipsum voluisse Zachariam qui occisus est a Joas rege Juda inter templum et altare, sicut Regum narrat historia. Sed observandum, quod ille Zacharias non sit filius Barachia, sed filius Jojadæ sacerdotis. Cum ergo et Zachariam teneamus, et occisionis consentiat locus, quorum quare Barachiæ dicatur filius et non Jojadæ. Barachias lingua nostra Benedictus Domini dicitur, et sacerdotis Jojadæ justitia Hebræo nomine demonstratur. In evangelio, quo utuntur Nazareni, pro filio Barachiæ filium Jojadæ reperimus scriptum.

Hæc signid valent pro Zacharia Pontifice a Joas occiso, amplius valere debent pro Patre Joannis Baptistæ. Christus enim exprobravit Judæis cædes Justorum a primo usque ad ultimum; et quidem cædem ultimi exprobravit tanquam a ipsis audientibus, non a ipsorum patribus patratam: quem occidistis. Zachariam Joannis Patrem fuisse filium Barachiæ, disserte affirmat S. Hippolytus M. auctor gravissimus apud Nicephorum hist. l. 2, c. 3. Si autem contendas, Zachariam, de quo Christus, fuisse Jojadæ filium; Epiphanius Vit. Prophet. c. 23 satisfaciet, ubi juxta versionem Dion. Petavii: Zacharias alter Propheta Sacerdos Jojadæ (Iosdae) filius, Joannis Baptistæ pater fuit. Hunc Herodes interfecit inter altare et domum Domini, adeo ut in vestibulo templi ejus funderetur cruor. Unde patet habetur testimonium de Zacharia nostro inter templum et altare occiso: cum tamen Pontifex Zacharias non inter templum et altare, sed in atrio domus Domini lapidatus esse dicatur II. Paral. XXIV, 21. Si S. Qua igitur Hieronymus de nomine Jo-